



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lilivm Inter Spinis**

**Sterre, Jean Chrysostome van der**

**Antverpiæ, 1627**

Cap. LV. Quòd prædixit locum sepulturæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

ORDINIS PRAEMONST. 179  
ditum voluit miraculum non deesse.  
Mirentur alij elementorum muta-  
tionem, absentium cognitionem, pre-  
scientiam futurorum, sanitates lan-  
guentium; etenim hæc mirabilia sunt:  
ego nihil tantum admiror horum,  
sicut de nihilo aliquid factum esse.  
Vnde enim in vasculo vinum est in-  
uentum, vbi nihil dimissum fuerat; ni-  
si operante folius potentia Creatoris?

C A P V T L V.

*Quòd prædixit locum sepulturae.*

**D**V M in talibus, & multò pluribus  
mirabilibus, circa seruum suum  
suas Dominus virtutes ostendit; et-  
iam spiritu prophetiæ eum magnifi-  
care curauit. Nam cùm dissolutionis  
suæ tempus desiderabile immineret;  
eodem anno quidam de Fratibus,  
cùm post Matutinas Laudes, pausan-  
tibus ceteris Fratibus, Ecclesiam in-  
troiisset, & Officij matutinalis debi-

M 2 tum

tum (à quo abfuerat) implere cœpisset, audiuit à latere suo in medio Monasterij fieri sonitum vehementem; ita ut totus concuteretur horrore, & expauesceret vehementer: nec minùs mirabatur, ex qua causa sonus tam insolitus in loco posset accidere, ubi nihil erat talis materiæ, cuius ruinâ talis posset sonitus generari. Itaque orationibus adimpletis, non sine admiratione recessit; & misit Dominus in cor eius, ut hoc, quod audierat, referret ad IOSEPH; si fortè per eum Dominus sibi huius rei mysterium reuelaret. Manè itaque factò (sicut Dominus voluit) factus est IOSEPH obuius procedenti: cui statim Frater explicuit quid audisset; & petiuit sibi referri, si sciret quid tantus sonitus portendere potuisset. At IOSEPH subridens; Ego, ait, tibi, quid hoc factum significet, \* manifestabo. In eodem loco, ubi ille strepitus est auditus, quidam sepelietur tempore procedente:

ad

\* MS. habebat manifestato, sed legendum manifestabo.

ad cuius sepulchrum magnuserit con-  
 cursus, & magnus tumultus homi-  
 num audietur; quem Dominus per il-  
 lum sonitum, quem audisti, voluit  
 praesignare. Certè valdè manifesta fa-  
 cta est veritas prophetantis; ad ipsius  
 tumulum (ipse enim ibidem tumula-  
 tus est) ruentibus populis. cateruatim,  
 remedium sanitatis quærentibus; siue  
 cernere cupientibus & audire, quæ  
 per eum Dominus mirabilia opere-  
 tur. Prædixit quoque ante plures an-  
 nos, Ecclesiam Steiueldensem multis  
 tribulationibus fatigandam; cuius rei  
 veritas iam per experientiam nimiùm  
 est probata. Promisit etiam eidem Ec-  
 clesiæ post tribulationum angustias,  
 felicia tempora successura: quæ in spe  
 & desiderio exspectamus, & exspecta-  
 bimus patienter, nihil de oraculo  
 dubitantes.

*Prædicit  
 euentura  
 post obitum  
 suum.*

M 3 CA-